



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

227. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

112 R E G I N O N I S L I B. I.  
dicuntur fescupla, id est, summam capitis &  
dimidium summæ, percipere. [ *Vide Capitula*  
*Abytonis Basileensis cap. 17.* ]

De eadem re. *Ex epistola Leonis.*

Decreta Leo-  
nis I. c. 3.  
Burchard. lib.  
2. c. 113.

CCXXXIV. Nec hoc quoque prætereun-  
dum esse duximus, quosdam turpis luci cupi-  
ditate captos usurariam exercere pœnam &  
fœnore velle ditescere. quod non dicam in eos  
qui sunt in clericali officio constituti, sed & in  
laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt,  
condolemus.

*Admonendum hoc loco est, pro eo quod co-  
dex MS. Reginonis habet usurariam exerce-  
re pœnam, apud Leonem primum in epistola  
prima legi exercere pecuniam, quod rectius  
puto. Editio Helmstadiensis neque pœnam  
habet neque pecuniam. Ivo parte 6. cap. 65.  
& Gratianus 14. q. 4. cap. 7. legunt pe-  
cuniam.*

Ut sub alieno nomine fœnus non exerceant.  
Clerici. *Ex eadem epistola.*

Leo I. in De-  
cretis c. 4.  
Burchard. lib.  
2. c. 121.

CCXXXV. Illud etiam præmonendum, ut  
sicut non suo ita nec alieno nomine aliquis  
Clericorum exercere fœnus attentet.

De eadem re. *Ex Concilio Tarraconensi.*

Concil. Tar-  
rac. c. 2.  
Burchard. lib.  
2. c. 122.

CCXXXVI. Quicumque in clero esse vo-  
luerit, emendi vilius vel vendendi cariùs stu-  
dio non utatur.

De eadem re. *Ex Concilio Helibertano.*

Concil. Eli-  
berit. c. 18.

CCXXXVII. Episcopi, Presbyteri, &  
Diaconi

Diaconi de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes provincias, nundinas sectentur. Sanè ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum mittant. Et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

De eadem re. *Ex Concilio Carthaginensi.*

CCXXVIII. Placuit ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhonesto victum quærant, quia scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Concil. Carthag. 3. c. 16.  
Burchard. lib. 2. c. 151.  
2. Tim. 2.

De eadem re. *Ex eodem Concilio.*

CCXXIX. Item placuit ut Clericus, si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eandem speciem, quantum dederit, accipiat.

Concil. Carthag. 3. c. 16.  
Burchard. lib. 2. c. 124.

*Ex Capitularium lib. 11. cap. xxxvi.*

CCXXX. Ut Presbyteri à turpibus lucris & usuris non solum ipsi abstineant, verum etiam plebes sibi subditas abstinere instruant.

Lib. 2. Capitular. c. 37.  
Burchard. lib. 2. c. 125.

De eadem re. *Ex Concilio Chalcedonensi.*

CCXXXI. Pervenit ad sanctam synodum quod quidam qui in clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & secularia negotia sub cura sua suscipiant, Dei quidem ministerium parvipendentes, secularium verò discurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum

Concil. Chalcedon. c. 3.  
Burchard. lib. 2. c. 145.